

XXXVIII.

Torporis molestiam hanc sequitur articulorum inflexio difficilis, & extensio: color patientium atque sanarum partium similis videtur, nullo emergente tumore.

XXXIX.

Dehinc extollente se passione, inflatio fit cum dolore manifesto, qui nunc alterum duntaxat pedem, nunc utrumque cum punctiōibus excruciat. is sæpius à maiore digito, non etiam nunquam à vestigio seu plantæ cavitate, aliquando calcanei extremo, vel circa malleolos primum perceptibilis, à quo vehemens ad parvum motum labor & quiescēdi dulcedo.

XI.

Vbi malum confirmatum fuerit, dolor & calor articulos tumentes detinet cum deambulandi impotentia: in laborantibus articulis ex humore purulento vel mucilento & viscido tophi seu callosæ concretiones gignuntur, contumacissima lapidis duritie foràs eminentes, quos $\tau\acute{o}\nu\tau\epsilon\varsigma$ græci dicunt, transitus. Aurelianus vertit: ab his articulorum solutio, quam sequitur ipsorum pedis digitorum perversio, qui nigriores facti in obliquum contorquentur, aut reflexi supinantur, sæpè vicinis affixi incumbunt, cum crurum partis dolentis languore, & cessante nutrimento eorundem attenuatione & consumptione.

XLI.

Sanguineam Podagram arguunt plethora, tumor cum rubore elatus & ingens cum venarum, tum maximè partis affectæ, cibi $\epsilon\nu\chi\upsilon\mu\acute{o}\iota\tau\epsilon\ \kappa\acute{\iota}\ \epsilon\nu\pi\epsilon\pi\tau\omicron\iota$, juvenus, anni tempus vernum, dolor pulsatilis continenter affligens, sanguinis consueta euacuatio suppressa, urina fulva & consistentiæ mediocris; iuvamentum à frigidis, à calidis noxa.

Biliofam